



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Necessitas communionis breviter attingitur, ad refellendam impostoris
& calumniam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

clesiastica originem in Cathedra Petri constituisse, & supremam Ecclesie auctoritatem huic sedi collatam semper coluisse, juxta varios illos gradus quibus eam pro bono publice discipline, temporis ratione habita, Pontifices Romani explicare consueverunt.

III. Prima illa hujus capituli pars, que communionis cum Romana Ecclesia necessitatem attingit, posset à me hoc loco prætermitti, nisi famosus ille Libellus, qui huic scriptioni ansam præbet, hoc nomine Gallia Magistratus in crimen adduceret, quasi de hac intervertenda vel conservanda communione parum solliciti essent. Quamvis itaque articulus iste tam copiosa lucubratione à viro clarissimo sit explicatus ut mea opera non indigeat, ne tamen aliqua suspicio supersit posse aliquem à Magistratum numero ad communionem illam dissolvendam, ut minùs sibi perspectam, præmiis invitari, (quod tentatum fuisse, per summam impudentiam, & calumniam, Impostor suadere nititur) pauca verba hac de re faciam, eoque libentiùs, quòd inde gradus struitur ad explicandam asserendamque Ecclesie Romanæ per Gallias auctoritatem.

IV. Sanè communi omnium Ecclesiarum consensu fuisse receptum ut ad Cathedram Petri, tanquam in descriptione circulari lineæ ad centrum, respicerent, non solum nos docuit Leo Primus, sed etiam omnes Africani Patres: quorum testimonio hæc quidem in causa satius est uti quàm ceterorum, quippe qui nullius gratiæ aut adulationis apud ipsos hæreticos hæc in re suspecti sint, cum Libertatis Ecclesie Africanæ semper acerrimos vindices se præstiterint. Cyprianus itaque docet, Ecclesiam Romanam esse Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, unde Vnitas Sacerdotalis exorta est. Optatus verò Milevitanus Episcopus sacrilegi schismatis à Donatistis in Africa conflati scelestam divisionem inde damnare & evertere conatur, quòd ab Ecclesia Romana discessissent, ubi est origo & radix Vnitatis. *Igitur negare non potes scire te, in Urbe Roma Petro primo episcopalem cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephus appellatus est: In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus & peccator esset qui contra singularem cathedram, alteram collocaret.* Hunc autem verborum Cypriani & Optati germanum sensum esse existimo, licet aliorum à plerisque torqueantur; Nempe, cum Ecclesia (quæ in-

star corporis, nexu quodam mystico, Christo ut Capiti cohæret) nihil aliud sit quàm plebs ab Episcopo collecta, unum tantum episcopatum unamque Cathedram in illo corpore constitui oportere. Cujus Cathedre dignitas summâ Christi liberalitate Ecclesie collata est iis verbis quibus Petro administrandarum clavium & pascendi gregis curam demandavit. Porro Petrum solum à Christo interpellatum, ut Vnitas Ecclesie demonstraretur, & Petro dignitas illa tribueretur qua totius Ecclesie representaret figurata generalitate personam, ut cum Augustino loquar, atque hoc pacto & hac verborum formula de industria ad eum finem à Christo concepta unus episcopatus instrueretur, cujus quidem pars à singulis Episcopis in solidum possideretur, ita tamen ut ejus fons & origo ab uno inciperet, à Principe videlicet Apostolorum Petro, atque adeo nulli liceret, neque ipsis etiam Apostolis, episcopatum tenere alienum à communione & consortio Vnitatis, quæ viget in Cathedra Petri.

V. Quapropter eleganter veritatis ille assertor Hieronymus ita efformatum fuisse corpus Ecclesie docuit, ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio, ejusque Capitis rationem in Cathedra Petri collocatam; ex quo proinde sequatur, eum qui alienus sit ab Ecclesie Romanæ communionem, à compage totius corporis avulsam, in peregrinitatem quandam redigi. Quam sententiam exemplo suo testatus est, cum per varias factiones Oriente discerpto, Antiochena Ecclesia trium Patriarcharum schismate vexaretur: *Ego, inquit ille, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tue, id est, Cathedre Petri, communionem consocior. Super illam Petram Ecclesiam edificatam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Juxta Cypriani, Optati, & Hieronymi sensum, Gelasius Ecclesie Romanæ principatum arcessit ab Vnitate Ecclesie, quam Christus sermone ad Petrum directo instituit. Etenim in Tractatu adversus Græcos ait invictio Patrum Nicenæ Synodi judicio vetustissimū Romanæ sedis honorè fuisse judicatum. Vt pote qui Domini recordabantur sententiã, *Tu es Petrus, &c.* & rursus, *Ecce ego rogavi &c.* & illud, *Pasce oves meas.* Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio, & una monstraretur compago corporis Christi, quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis

Vide Galatium de Via Martz.

Hieronymus l. 11 contra Iovin.

Idem Hieronymus ep. ad Damasium.

Cyprian. epist. 51.

Optatus l. 1. contra Parmen.

Gelasius l. in Tract. adversus Græc. editio à R. P. Sirin.